

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Anthropologia Anatomico-Physica**

**Baumer, Johann Wilhelm**

**Francofurti, 1784**

**VD18 11680695**

Cap. II. De masticatione, deglutitione, digestione, atque organis eas  
perficientibus.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16622**

stentatio pendeant; earum primo, dein naturali ordine reliquarum rationem habitus sum, præmissa vel adposita quolibet loco succincta accurataque organi, actionem aliquam præstantis, descriptione; nisi sub genere suo iam descriptum sit.

## CAP. II.

*De masticatione, deglutitione, digestione,  
atque organis eas perficientibus.*

## §. I.

**A**limentorum, vel cibi potusque, desiderium appetitus, & distinctis nominibus *fames* atque *sitis* nominatur. Secretionibus atque excretionibus, a pastu potusque, rite peractis, & humoribus alimentariis imminutis, ac quodammodo alteratis, appetitus naturaliter redit, cuius finis *satietas* est, quam consecuti, optima etiam fercula potusque fastidimus, atque a nociva ingluvie prudenter abstinemus. In lingua, faucibus, œsophago atque ventriculo sitis, atque etiam in hoc famis sedes est; quando scilicet, ob excretiones perfectas, humorum spissitudinem, largiorem ciborum siccorum, vel falsorum, esum, potulentorum defectum, sales dicta loca stimulant, atque in illis, ob alibilem humorum defectum, sensus ingratus percipitur.



## §. II.

*Eum in-  
vitantia  
ac proster-  
nentia.*

Appetitum recta ventriculi actio, salivæ atque liquoris gastrici stimulus, corporis exercitationes, excretiones rite succedentes, consuetudo, gratorum alimenterum aspectus, digestiva atque evanescencia, tempestive sumta, excitant. Polyphagia, ventriculi cruditas atque atonia, vita deses, excretiones imminutæ, ebrietas, spirituorum phlogisticorum, fumi Nicotianæ, atque alcalinorum, abusus eum prosternunt, vel saltim imminuunt.

## §. III.

*Masticationem  
ratio.*

Ciborum comminutionem, dentibus incidendo, perforando, ac conterendo, pro diversa sua structura, agentibus, perficiendam, masticationem dicimus. Ad hanc præstandam primo diduictione maxillæ, ob interpositam cartilagineum tanto mobiliore, a mala, muscularum digastricorum atque latissimi colli ope, atque dein valida illius adductione, quam crotaphitæ, masseteres atque pterygoidei interni ac externi perficiunt, opus est, linguæ, buccarum labrorumque muscularis ad hanc actionem simul concurrentibus. A masticationis neglectu ciborum digestio lœditur, & quandoque nociva v. c. ossium festucæ, piscium spinæ &c. in œsophagum, non sine periculo, deferuntur. Dentibus firmandis, & malis ac maxillæ regendis gingivæ inserviunt, quæ ex communioris membrana & maxillæ mala-

rumque membrana factæ atque copiosissimis  
vasculis sanguiferis, ruborem præstantibus,  
fructæ sunt.

## §. IV.

*Platysma myoides*, latissimus colli, car-*Musculi.*  
neus, latus ac tenuis est, a musculis pecto-  
rali, deltoide atque colli vertebris originem  
sumens, maxillam amplectitur, fibrasque  
labro, genis, atque versus aures, mittit.  
Vid. Barthol. *Eustachii* tab. anat. XXX. lit. u.  
*Musculi digastrici*, sub colli latissimo laten-  
tes, ex incisura, sub processibus mastoideis,  
orientes, superiore ventre ad ossis hyoidei  
latera descendunt, in medio suo tendinei  
fiunt, atque dein altero ventre, recto itinere,  
ascendentes internæ menti synchondrosi in-  
seruntur. Medio suo tendine musculos  
stilo-hyoideos transeunt, ibique duas apo-  
nevroses emittunt, quarum una cum mu-  
sculis sterno-stilo- & mylohyodeis in con-  
cursu suo connectitur, atque altera ad ossis  
hyoidei basin excurrit. Vid. *B. Eustachii* tab.  
anat. XXXII. lit. r. r. & tab. XXXV. m. a., a. n.  
A ventre eorum secundo portio quædam  
sæpius abludit, cum eodem ventre, vel  
portione digastrici alterius lateris absce-  
dente, se coniungens. Vid. *Memoires de  
l' Acad. R. de Sciences* 1742. p. 237. sur l'u-  
sage des muscles digastrique, de la ma-  
choire inférieure dans l'homme. *Crotaphitæ*,  
temporales, perieranio involuti, ambitu  
tenui, fere circulari, a tota temporum re-  
gione partim tendinosi, partim carnosi,

incipientes, ac fibris antrorsum rectis, retrorsum obliquis, in angustum collectis, crassiores, & circa medium suum sensim tendinei facti, ad externa maxillæ latera descendunt, atque processui coronoidi, atque angulo pone illum, inseruntur. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XXXII. lit. I. l. & tab. XLI. fig. I. lit. B. fig. 3. lit. A. *W. Comper* anat. C. H. append. tab. VIII. lit. L. *Masseteres*, manducatorii, sunt crassi, dupli fibrarum strato gaudentes, quorum unum tendinosum ab anteriore inferioreque processus malæ parte, alterum carnosum a toto inferiore atque interiore zygomaticis margine oritur, partim recta, partim oblique ad maxillam sese demittens, ei a processu coronide ad angulum usque immittitur. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XLI. fig. I. lit. D. *W. Comper* l. c. lit. N. *Pterygoidei externi* a lamina pterygoidea externa, vicinaque ossis sphenoidis parte, tendinosam originem ducentes, tenues ac latiusculi sunt, atque internis apophysium condyloidum angulis, seu maxillæ collis, inseruntur. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XLI. fig. XIII. lit. Δ. *W. Comperi* anat. C. H. append. tab. IV. lit. f. Externi singuli agentes maxillam ad latus detorquent, sed in actione coniunctim constituti eam antrorsum ducunt atque attollunt. *Pterygoidei interni* ex ipsis processuum pterygoidearum cavitatibus oriuntur, atque in iis latentes, superficie internæ atque inferiori maxillæ, e masseterum regione, inseruntur. *B. Eustachii* tab. anat. XLI. fig.

XIII. *W. Comperi* anat. C. H. append. tab. IV.  
lit. g. *M. Ferrein* sur les mouvements de la  
machoire inferieure, dans les Memoires de  
l'Acad. R. des Sciences 1744. p. 579.

§. V.

Inter masticandum ex parotidibus, per *saliva* &  
ductum stenonianum, ex glandulis maxil- *seri in ore*  
laribus per ductus Wathonionos, saliva, *secretio.*  
atque ex glandulis sublingualibus aliis par-  
tium oris internarum v. c. labrorum, mem-  
branæ palati, malarum atque uvulæ glandulis  
serosis serum arteriosum in primis fecer-  
nuntur, cibisque admiscentur. *Jo. Andr.*  
*Ruyfchii* diss. de naturali constitutione sa-  
livæ. Halæ Magd. 1751.

§. VI.

Labra vel labia duo, ex musculis potis- *Labra.*  
sum structa, extus tegumentis commu-  
nibus, intus oris membrana, sub qua  
glandulæ simplices serosæ latent, tecta sunt.  
Labrum superius, sub nasi septo, inferius,  
ad dentium incisorum radices, ligamentum  
proprium, frenuli nomine veniens, habent.  
Prolabia, papillis nerveis copiosissimis do-  
nata, admodum sensilia sunt. Tam ad lo-  
quelam formandam, quam ad alimenta su-  
menda, cibosque, sub manducazione, in  
ore retinendos, egregiam nobis operam la-  
bra præstant.

§. VII.

Ad labrorum musculos sequentes refe- *Eorum*  
runtur: *Musculus orbicularis*, vel *oris spin-* *musculi.*

*Eter*, ipsa labra constituens, cuius fibræ in horum angulis decussatim positæ sunt; quam ob caussam a Winslovio in duos semicirculares divisus fuit. Abductorum duo paria sunt, nimirum zygomatici & buccinatores. *Zygomatici* a zygomatis ossibus orientes, vicinisque musculis varie implexi, labrorum angulis inseruntur. In duos fasciculos musculi hi subinde dividi possunt, quorum duo superiori labro, ac tertius eius angulo, sese inserunt. Præter hos, quartus, ab osse iugali ortum ducens, atque ad incisorium pergens, rarius observatur. Vid. *J. B. Morgagni* advers. anat. II. p. XXVIII. *Buccinatores*, vel malarum musculi, partim ab anteriore inferioreque processus maxillæ coronoidis parte, partim ad dentium molarium postremorum, malarum & maxillæ, radices ortum ducentes, labrorum angulis inseruntur. *Elevatorum* communium par unum, canini, ac propriorum paria duo, incisorii superiores & inferiores, inveniuntur. *Canini* supra dentes caninos, sub zygomaticis ossibus, in malarum ossibus originem sumentes, & oblique descendentes, cum labrorum angulis committuntur. *Incisorii superiores* a malarum ossibus, mox sub orbita, dupli capite orientes, nasi alam proxime transeunt, illique fibras impertinentes, oris sphincteri, circa dentes incisorios superiores, inseruntur. *Incisorii inferiores*, vel elevatores labri inferioris Cowperi, infra dentes incisores, sub gingivis, a maxilla ortum ducentes, in menti cutem de-

scendunt. Depressorum vicibus duo musculi triangulares ac quadratus funguntur. *Triangulares*, ex lateralibus imisque maxillæ partibus orientes, ad orbicularis musculi angulum utrimque ascendunt. *Quadratus*, vel *mentalis*, ex fibris reticulatis compositus, a parte maxillæ anteriore lato principio ortum ducens, toti margini orbicularis inferiori inseritur, atque triangularibus interiacet. Vid. *Sanctorini* observationes anat. tab. I. *W. Cowperi* in anat. C. H. appendice tab. VIII. *Barthol. Eustachii* tab. anat. XXXXI. fig. I. & III. *Alb. de Haller* icon. anat. fasc. III. tab. II. & fasc. VIII. tab. I.

*Obs.* In subiectis torosioribus alia adhuc fibrarum muscularium strata, v. c. *musculus risorius*, a subcutaneo exsurgens, &c. reperiuntur. Arbitrante *J. B. Morgagno* adversar. anat. II. animadvers. XII. faciei musculos non omnes omnibus eodem numero ac modo contingit, mirari haud convenit; cum admirabilis facierum varietas inde deducenda sit.

### §. VIII.

Palati membrana, crassa, copiosis glandulis serosis, multisque vasis gaudens, mala<sup>Palati membranæ.</sup> ac ossum palati periosteum in ore obducit, atque cum dictis ossibus ope fibrum vasorumque, per foraminula ad nares usque penetrantium, cohæret, partim vero versus uvulam, veli instar, pendula est; ibique velum, vel claustrum, palati nomi-



natur; quia a posterioribus narium cava-  
tibus deglutienda arcet. Parvos etiam quos-  
dam musculos v. c. palatino & pterygo-sta-  
phylinos internos atque externos, ut &  
uvulæ azygon, in duplicatura sua velum hoc  
concludit.

## §. VIII.

*Uvula.*

*Uvula*, uva, columella, homini data,  
rarissime duplex, est pars parva, conica, in  
parte palati posteriore, supra linguæ radi-  
cem, inter duos palati arcus atque tonsillas,  
a velo palatino pendula. Cum eius muscu-  
lus azyos valde exiguus sit, a veli palatini  
membrana maxime formatur, atque, duo-  
rum ligamentorum interventu, cum palati  
ossibus cohæret. De eius glandulis vid.  
*Frid. Ruysschii thesaur. anat.* X. p. XII.  
Musculis *glosso-palato-pterygo-pharyngo-*  
*salpingo-staphylinis* uvula movetur. *Glosso-*  
*staphylini*, seu potius *glosso-palatini*, utrim-  
que ex linguæ radice orientes, atque versus  
palatum ascendentes, in arcu veli palatini  
anteriore desinunt. *Palato-staphylini* ad  
ossum palati iuncturam principio lato  
utrimque orientes, atque a muscularum  
pterygo-staphylinorum fibris acuti, ac in-  
ter se iuncti, sensim angustiores fiunt, at-  
que, trianguli figuram æmulantes, descen-  
dunt, ac parti uvulæ superiori inferuntur.  
*Pharyngo-staphylini*, e pharyngis lateribus  
utrimque provenientes, atque cum thyro-  
pharyngeis lateraliter cohærentes, in veli  
palatini arcu posteriore terminantur. *Pte-*

*Pterygo-staphylini*, a suprema processus pterygoidei atque anteriore tubæ parte ortum ducentes, ac inter utramque illius laminam descendentes, tendine super laminæ interioris corniculam reflexo, quasi per trochleam sursum feruntur, atque in arcum veli palatini anteriorem inseruntur. *Salpingo-staphylini interni*, pterygo-staphylinis maiores, ab ossea tubæ portione originem ducentes, & oblique ascendentes, eundem insertionis terminum agnoscunt, uvulæ azygos, linea alba divisus, a palato-staphylini tergo locatus, ex ossium palati iunctura tendineus oriens, medium uvulæ carneus ac tenuis occupat. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XLI. *W. Copperi* anat. C. H. append. tab. IV. lit. dd. ee.

### §. X.

Saliva est humor saponaceæ indolis, *Saliva in-*  
pellucidus, in statu naturali insipidus atque *doles.*  
inodorus, in supra citatis glandulis salivalibus, copiosos quinti nervorum cerebri paris ramulos recipientibus, ex sanguine arterioso secretus. In loco aëre vacuo multas bullulas emittit, ignis calore non concrescit, cum salibus acidis atque alcalicis haud notabiliter effervescit, farinaceis ac dulcibus fermentationem inducit, ipsaque, in loco calido servata fermentescit, acescit, & denique, putredinem concipiens, fœtorem spargit. In examine chémico, præter insignem aquæ copiam, salis fixi portionem largitur. Extra masticationis tempus ori



humectando, ac linguæ motui facilitando, saliva inservit. Inter masticandum, salinas atque oleosas alimentorum particulas solvendo, gustui famulatur, ipsam masticationem deglutitionemque facilitat, ac universale alimentorum, quo intimius recludantur, menstruum constituit. Irritantia ore detenta, maxillæ agitatio, quin, propter ramorum quinti nervorum cerebri paris consensum, gratus alimentorum visus odorque salivam movent.

## §. XI.

*Oesophagus.*

Gula, œsophagus, cuius summum pharynx, fauces, atque extremum stomachus dicitur, primarum viarum quasi principium est, atque ab ore, pone arteriam asperam, ad sinistrum tamen latus paullulum vergens, ad ventriculum, quocum circa præcordia commissus est, fertur, atque alimenta recipit. Ex tunica cellulosa, musculosa, spiraliibus ac longitudinalibus fibris prædita, vasculo-nervea atque villosa, plicas cum nervea longitudinales formante, ita constructus est, ut tunicis veris cellulosa interposita sit. A carotidibus, aorta, intercostalibus atque cœliaca ramos arteriosos accipit. Ad iugulares, venam azygon atque coronarias ventriculi radices eius venosæ abeunt. Sub tunica villosa copiosæ parvæ glandulæ, in primis in suprema pharyngis parte, latent, atque haud raro cum osculo suo excretorio in conspectum veniunt. A parivago nervi eius originem sumunt, qui in interiorem



gulæ membranam papillas nerveas emit-tunt, quæ vero, propter exilitatem suam, sine prægressâ præparatione, haud facile in conspectum prodeunt. Vid. *Fr. Ruy-schii* thesaur. anat. VIII. p. XVI. Musculis a processu stiliformi, ossibus cranii, (sphenoide & occipitali) tuba Eustachiana, maxilla & lingua oriundis, seu stilocephalo-ptyrgo-salpingo-mylo-glosso- & palato-pharyngeis diducitur, atque ab œsophageo, seu gulæ sphinctere, constringitur.

### §. XII.

Musculi *stilopharyngei* a processuum styloidum principiis, *cephalopharyngei* ab apophysibus ossis occipitis anterioribus, cum osse sphenoide cohærentibus, *pterygopharyngei* vel *sphenopharyngei* a processibus pterygoideis atque a processibus ossis sphenoidei spinosis, *salpingopharyngei* ab Eustachii tubis, mylopharyngei, tonsillas complectentes, a maxilla pone dentem molarem ultimum, & *glossopharyngei* a linguæ lateribus orientes, mylopharyngei a maxilla, pone ultimum dentem molarem, ortum trahentes atque tonsillam amplectentes ad pharyngis latera descendunt. Ad myloglosseos a nonnullis referuntur. Qui in posteriore pharyngis parte ad unum omnes terminantur. *Oesophageus* ab osse hyoide, atque laryngis cartilaginibus, thyroidea & cricoidea, utrumque ortum dicens posteriorem gulæ partem amplectitur, ibique linea alba, seu tendine, interdum vix obser-

B



vabili, distinguitur, vid. *J. B. Morgagni* adversar. anat. II. p. XLIV. epist. anat. VIII. art. V. epist. XI. art. IX. ob multiplicem huius musculi originem, in hyo-thyro- & cricopharyngeum *Valsalva* illum divisit. Vid. *eius* tr. de aure hum. & uvulae atque pharyngis muscularis, Bonon. MDCCV. *B. Eustachii* tab. anat. XLII. fig. IV. & VI. *W. Comperi* anat. C. H. append. tab. IX. fig. XXXVIII. lit. B. D. E.

### §. XIII.

*Degluti-*  
*tio.*

Linguæ opera cibi, dentibus comminuti, orisque humoribus subacti, glotide depressa, sublatoque palati velo cum uvula, ne quid in laryngem cum periculo decidat, vel per nares redeat, in pharyngem conjiciuntur, successivaque œsophagi actione in ventriculum deferuntur, quam actionem deglutitionem, vel devorationem, nominant, sub qua os hyoides cum annexis primo sursum atque antrorum, dein deorsum retrorsumque ducitur.

### §. XIV.

*Abdomen.*

Abdomen viscera sua continens, extus integumentis communibus tectum, ex muscularis a fibrarum suarum directione nomen trahentibus, nimirum transversis, oblique ascendentibus, oblique descendenteribus, rectis atque pyramidalibus structum, intus peritoneo inclusum, a coxis ac pube ad præcordia usque extenditur, imamque eius par-

tem pelvim nominant. *Linea alba*, a sterno, per abdominis medium, ad ossium pubis iuncturam descendens, ex horum musculorum tendinibus inter se mire complicatis conficitur, eiusque medium *umbilicus* occupat. In parte musculi oblique descendantis *annulus* est, quem in viris funiculus spermaticus, in feminis ligamentum uteri rotundum penetrant. A mammariis, intercostalibus, lumborum vasis atque epigastricis vasā sua sanguifera, a nervis dorsalibus atque lumborum nervos suos habet.

### §. XV.

*Par* muscularum abdominalium *rectum* *Musculi*  
obliquis crassius, in pubis ossibus ortum *abdomina-*  
sumens, & duas distinctiones tendineas su-*les, vasā*  
*pra umbilicum*, unamque infra eum, to-*& nervi.*  
tum musculum non semper penetrantes,  
habens, digitalibus extremitatibus sterno  
ac tribus ultimis costis veris ac primæ spuriæ  
inferit. Vid. *M. Bertin* sur l'usage  
des énervations des muscles droits du bas-  
ventre, dans les Memoires de l'Acad. Royale  
des Sciences 1746. p. 585. *Par oblique de-*  
*scendens* processibus digitalibus carnosο-ten-  
dinosis a costis quinta usque ad duodeci-  
mam oriens, atque cum serrato antico ma-  
iori in pectore, & versus dorsum cum  
dorsi latissimo connexionem admittens, apo-  
nevrosi sua cum linea alba, spina ilei & osse  
pubis committitur. *Par oblique ascendens*  
ex ossium ilei ambitu oriens lineæ albæ at-  
que inferioribus costarum spuriarum mar-



ginibus inseritur. *Par transversum*, sub præcedente latens, atque abdomen, fasciæ instar, circumdans, a crista ilei, lumborum processibus, costisque spuriis originem sumit, &, sub recto, cum linea alba committitur. *Par pyramidale*, paris recti fuc-centuriatum, valde exiguum, ad ossium pubis iuncturam exoriens atque ad tres quatuorve digitos recta assurgens in linea alba finitur. Interdum nonnisi unicum, rarius tres musculos constituit, & quandoque prorsus deest; & tunc inferior paris recti extremitas solito crassior esse solet. Ligamentum abdominis suspensorium primo a Fallopio, & post eum, a Poupartio in actis Acad. Regiæ Scientt. Paris. MDCCV. descriptum inter os pubis atque ilei spinam positum, musculum psoas, vasa cruralia &c. transmittit. A lumborum vasis, intercostalibus, mammariis atque epigastricis arteriæ & venæ, a lumborum & dorfi nervis abdominis nervi veniunt. Vid. B. Eustachii tab. anat. XXXIX. lit. n. tab. XXXV. lit. A. & tab. XXXIII. lit. q. W. Comperi myctomiae tab. XXXI. & tab. XXXII. Alb. de Haller icon. anat. fasc. VI. tab. I. Winslow dans les Memoires de l'Acad. Royale des Sciences 1726. p. 252.

### §. XVI.

*Diaphragma.*

Diaphragma, septum transversum, est membrana crassa, in ambitu musculosa, in centro tendinea, thoracem ab abdome transversim & oblique separans. Superius

pleura, inferius peritoneo tecta est. Anteriorius processui ensiformi, ad latera costis, inferius ac posterius productionibus tendinous, dextra breviore secundæ lumborum vertebræ, sinistra longiore tertiae ac quartæ eorum adhæret. Arterias ab aorta vel cœliaca, subclavia aut mammaria, intercostalibus atque lumborum arteriis habet, quæ diverso reptatu per partem eius musculofam atque tendineam discurrunt. Venarum radices cavæ, venæ fine pari atque subclavæ mittit, vasis lymphaticis donatum est, duosque nervos magnos, diaphragmaticos, seu phrenicos, utrumque a colli vertebra-libus oriundos, aliosque minores a pari intercostali vagoque accipit. Foramen ovale in sinistro ejus latere gulæ & paris vagi, rotundum in dextro venæ cavæ inferioris, transitui destinata sunt, & ubi cum ultima costa cohæret, a nervo intercostali utrumque penetratur. Vid. *Senac.* sur le dia-phragme. Memoires de l'Academie Royale des Sciences 1729. p. 163. tab. I. *Alb. de Haller* diss. de musculis diaphragmatis, Bernæ MDCCXXXIII. *Eiusd. Icones anat.* fascic. I. tab. I.

### §. XVII.

Peritoneum, a περιτενω circumtendo *Perito-neum.*  
dictum, est membrana tenuis ac lœvis, firma tamen, abdominis carnem ab interiore parte finiens, atque omnia fere eius viscera, veluti vagina, includens. Duplici lamina, vera interiore, atque cellulosa exteriore,



constat, nec eadem ubique crassitie gaudet. Arteriae & venae ad epigastricas, mammarias, lumborum atque diaphragmaticas referendae sunt. Nervos a dorsalibus, lumborum atque ossis sacri nervis habet. Speciatim ventriculum, intestina, mesenterium, omentum, hepar, lienem, pancreas atque fitterum involvit, quæ viscera ideo in peritonei duplicatura sita esse dicuntur. Renes, ureteres, chyli cisternam maioraque abdominis vasa ab anteriore, atque vesicam urinariam a superiore parte saltim tegit. In eius complicatione, non duplicatione, vasa umbilicalia decurrunt. Varia v. c. hepatis, vasorum umbilicalium, intestinalium, uteri lata aliaque minora ligamenta constituit, rotunda uteri ligamenta involvit, atque telam cellulosam, sic dictum processum, funiculum spermaticum testesque involventem, extra abdomen demittit. Vid. Jo. Duglassii descriptio peritonei & membranae cellularis, cum E. F. Heisteri annotationibus, Helmstad. MDCCXXXIII. Frid. Wilh. Hensingii diss. de peritoneo, Gieffæ MDCCXLII. Dn. Henr. Aug. Wrisberg de peritonei diverticulis, Gœtt. MDCCCLXXX.

## §. XVIII.

*Ventricus lus.* Ventriculus, statim sub dia phragmate, inter lienem ac hepar, positus, est viscus membranofsum, cavum, ex consimilibus, quam œsophagus, cuius insignis quædam dilatatio est, tunicis, præter externam communem musculosa, vasculofo-tendinea &



villosa, interpositis cellulosis constans, alimentorum receptaculum est, atque orificio superiori sinistro, cardia, cum œsophago, atque dextro cum intestino summo cohæret, quod  $\pi\eta\lambda\omega\rho\sigma$  Græci nominant, quoniam, portæ instar, in inferiores partes digesta demittit. Hic, fundo ventriculi paullo altius locatus, fibrarum circularium satis robustarum strato, sphinctere, nec non valvula, seu ruga notabili, ex fibris transversis interioribusque ventriculi tunicis facta, gaudet. Alimentis digerendis viscus hoc destinatum est. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. X. fig. II. *F. Ruysch.* thesaur. anat. II. tab. V. fig. I. *W. Comperi* anat. C. H. tab. XXXIV. fig. V. & tab. XXXV. fig. I-VII. *Dn. Helvetius* dans les Memoires de l'Acad. Royalè des Sciences 1719. p. 444. *Dn. Levelingii* diss de pyloro, Argent. MDCCCLXIV. De stratis tunicæ muscularis ventriculi vid. l'Histoire de l'Academie Royale des Sciences 1761. p. 61. Memoires p. 360.

### §. XVIII.

Nervi a pari vago, in primis ad orificium *Eius nervi* ventriculi sinistrum intrantes, a quibus *vi, vasæ* magna huius visceris sensibilitas pendet, *& liquor* *gastricus.* *gas* insignes sunt; præter hos etiam alios minores a pari intercostali per ganglionum semilunarium filamenta accipit. Nervis paris octavi ligatis vel discissis, ventriculi vis vel ad tempus, vel prorsus tollitur. Ab arteria cœliaca gastrica superior, coronaria dicta, atque gastrica dextra duodenalem emit-



tens, a splenica vero gastrica sinistra, nec non arteriæ breves atque pyloricæ sunt. Vena coronaria, gastrica sinistra ac venæ breves, mediante vena splenica, sanguinem venæ portarum advehunt. Sub extima ventriculi tunica venæ lymphaticæ latent, & ventriculo luci opposito, glandulæ circa pylorum in conspectum prodeunt. Arteriæ visceri huic nutriendo, ac liquori gastrico secernendo, & utrumque vasorum sanguiferorum genus, multas anastomoses inter se nec tens, illi fovendo destinata sunt. Ex arteriolis ventriculi serosis glandulisque Ruychii spuriis liquor gastricus secernitur, atque, nervulorum ope, spiritibus animalibus ditatur. Liquor hic pellucidus, spumosus atque subsalsus est, & cum saliva deglutita ciborum digerendorum menstruum constituit.

### §. XX.

*Eius con-*  
*nexa.*

In latere sinistro vasis brevibus ventriculo lien annectitur, dextrumque eius latus hepar claudit, & utrumque hoc viscus, super eo paullulum ingrediens, digestionem calore iuvat. Præterea a septo transverso superiorius, atque a musculis abdominalibus anterius, ventriculus alternis motibus comprimitur, id quod cibis digerendis egiū quoque adminiculum præstat.

### §. XXI.

*Digestio.*

Dum alimenta in ventriculo per iustum tempus commorantur, calore foventur,



saliva ac liquore gastrico macerantur, aëris elasticí vim experiuntur, atque a motu peristaltico atteruntur, eorum solutio atque cum liquoribus animalibus commixtio, seu digestio, peragitur. Causæ cibum iusto citius expellentes, naturali calore & tono ventriculum privantes, aut alia ratione lædentes, salivæ & liquoris gastrici secretio-nem turbantes, atque indolem eorum na-turalem depravantes, digestionem, aliasque secretiones illa nixas, non sine magno va-letudinis detrimento, pervertere, manife-stum est. Vid. l'Histoire de l'Acad. Royale des Sciences 1719. p. 41. Jo. Andr. Seg-neri diff. de ciborum digestione. Göttingen. MDCCLII. Dn. Protasow in diff. de actione ventriculi humani in ingesta, Argent. MDCCLXIII.

### §. XXII.

Ex ventriculo cibi non prius per pylo-*Chymus.*  
rum contractum ad intestina deferuntur,  
quam postquam, amissa pristina mixtione  
& structura, in mucosum & quasi pulta-  
ceum liquamen resoluti sunt, quod chymi  
nomen recipit, & motu ventriculi peri-  
staltico per pylorum cedentem in duode-  
num exprimitur. Fluidissima quædam, ante  
chymi exitum, partim a ventriculi venulis  
absorbentur, partim per pylorum in inte-  
stina effluunt.

*Obs.* Quædam alimenta, etiam post di-  
gestionem, odorem atque colorem suum quo-  
dammodo retinent, quod v. c. in asparago,



allio, cepis, raphano, opuntiae fructu, rhabarbaro, croco, rubia tinctorum &c. partim olfactu, partim visu, percipimus.

## CAP. III.

*De chylificatione & visceribus illi servientibus.*

## §. I.

*Intestina.* **L**ongus, a pyloro incipiens, & in aniorificio desinens, membranaceus canalis intestinorum nomine venit. Sacco membranaceo, peritoneo, inclusa, notabili discrimine in tenuia atque crassa a natura divisa sunt, & in orbes plus minusve collecta per peritoneum atque membranulas cum mesenterio connectuntur. Ad illa duodenum, Celso summum, ieiunum atque ileon, Celso tenuius, pertinent, haec vero cœcum, colon, Celso laxius, & rectum complectuntur. Ad ventriculi similitudinem, ex tunica membranacea seu communi, musculosa longitudinalium ac circularium fibrarum, vasculofo-nervea, atque villosa structa sunt; intercurrentibus inter tunicas veras cellulosis, spuriis, seu membranulis. Villosa ex minimis vasculorum nervulorumque extremitatibus constat. Tunicæ hæ a Ruysschio ep. anat. XI. tab. XII. fig. I. & II. delineatae sunt.

*Obs.* Intestinorum planum corporis peripheriam in eodem subiecto æquare, prohibent,